
SCHWARTZBACH
PÖEMETA.









MVSARVM ET CHARITVM Poëmata.

IN HONOREM *CELEBERRIMÆ* HAFNIENSIS ACADEMIÆ.

Scripta
à
Martino Schvvartzbach
Laubensi Silesio.

HAFNIÆ
Impreßit Iohannes Stockelmannus.
Anno 1594.

Ornatissimo Viro, Sapientia et Erudi-
tione praestanti Dn. Thomae Fak, Civi
Flensburgensi, benevolentiae ergo
donat Author.

APOLLO.

MAGNIFICIS, REVERENDIS ET CLARISSIMIS,

Viris, Dñ. Rectori, cæterisq; Doctoribus & Magistris Regiæ Hafniensis Academiæ.

EST Nox atq; Dies: est Sol ac Luna; diej
Sol seruit: nocti lumine luna suo.
Est Schola, sunt animi: Lex est, sunt corpora, seruat
Corpora Lex: animos sed Schola docta polit.
Gloria magna Scholæ, sed longè maximus vsus,
Absq; Schola Diuum gloria nulla foret.
Vos ergò, Hafnensem, quibus est commissa decenter
Cura gubernandi relligiosa, Scholam,
Qui iuuenile genus vitiorum stirpe recisa
Fingitis in Sophiæ nobiliore sinu:
O proceres, saluete, nouem tutela Dearum,
Magnifici titulis, & probitate graues.
Vos onerosa quidem prouincia frangit & angit,
Sed suscepta bona fit ratione leuis.
Suscipite in vestras, quæ iussi scribere laudes,
Qualia possideo, talia dona fero.
Cùm fero quod possum, satis est: ferat aurea, cuius
Aureus in cistis ocia Plutus agit.

CLIO.

D$^{n.}$ NICOLAO THEOPHILI, I. V. DOCTORI, ET hoc tempore Rectori Academiæ Magnifico.

Nostra salus quoniam per Te defensa resurgit
Mecænas, docti lux memoranda chori.
Propterea signata meo te nomine fulgens,
Gloria quadrigis tollet ad astra suis.
Cùm te laudamus, Regem laudamus Olympi,
Qui tribuit, dignum carmine quicquid habes.
Non venit in nostras leuis assentatio partes,
Scilicet in laudes non venit illa DEI.
Laudibus ergò tuis me non seruire putabis,
Errat adulari Numina quisquis ait.
Victor, amans Diuum atq́ hominum, NICOLAE *vocaris,*
Hinc summi multas nactus honoris opes.
Tu Legum Custos, tu florida stella bonorum,
O & amor Charitum, Pieridumq́ fauor.
Ob magnas animi dotes, virtutis & vsum
Est tibi clarorum gratia parta Ducum.
Dignatus magno Te MAX*milianus honore est*
Cæsar; te Reges, Sarmata, Scotus, amant.

EVTERPE.

D$\bar{n}$. PETRO VVINSTRVPIO, THEOLOGO DOCTORI, Professori, & Episcopo prouinciæ Selandiæ.

NOminor Euterpe, quoniam permulceo suauj
Carmine patronos, docte Patrone, meos.
Et quia tu profiteris eo quoq; nomen in albo,
Muneris eiusdem, me duce, compos eris.
Nam qui de Musis, & posteritate meretur,
Atq; Scholis verê militat, atq; DEO.
A Musis laudes, â posteritate coronam,
Atq; Scholis famæ præmia digna capit.
Annon ergo queam te dicere iure beatum?
Omnibus his pietas quod tua PETRE *vacet.*
Ex vultu pietas cælo deuota relucet:
Vt rapis, vt raperis Numina? quando doces.
Quantus es! exterres cùm pectora fulmine Legis,
Aut Euangelij saucia rore leuas?
Carmen & exactis numeris æquabile pangis,
Cùm tua cælesti vena fauore calet.
Non tibi verba damus, Domino largimur honorem,
Qui, precor, vt referat digna tuis meritis.

THALIA.

D^{n.} IOHANNI OLAO SCHLANGENDORPIO

Doctori & Professori SS. Theologiæ Primario.

Sicut ego vireo, sic Te, charissime rerum,
Aspiciam famæ laude virere tuæ.
Non sentit senium, quamuis superauerit annos
Nestoris, Aonidum quisquis amore calet.
Felix ô quicunque bonas prouexerit artes,
Illius æterno nomen honore viret.
Igne resoluentur crepitante palatia mundi,
Sed virtutis honos inuiolatus erit.
Non frustrà teneris Eupheme iuncta Camænis,
Nec temerè Musis est sociata Charis.
Nec te lactabit fallacibus aurea verbis
Gratia, qui patrium nunc Helicona doces.
Tot præclara tuis quod opuscula sumptibus edis,
Vtiliter Clario suppeditata gregi.
Digna tuis si non respondent præmia factis,
Præmia te longè nobiliora manent.
Forsan & hæc benefacta homini non digna rependi,
A solo in cælis retribuenda DEO.

MELPOMENE.

Dn. GEORGIO DIBVADIO, THEOLOGIÆ Doctori & Professori.

ILlius ad seros nomen transmitto nepotes
Carmine, qui carmen cum pietate colit.
Quod tu cum facias, felice merebere versu,
Auspice me, ferri docta per ora virûm,
Percussêre sacrum Virtus & Gloria fædus,
Ceu Thebana pio carmine Musa canit.
Dum tua se virtus aperit, longæua corollam,
Protinus ex lauri Gloria fronde parat.
Insuper vtilitas per te dum tollit ocellos
Publica, priuatam crescere Fata iubent.
Optime DIBVADI, Virtutis & Artis asylon,
Quid dicam, quo sis captus amore Scholæ!
Nonne Theonino scurrarum dente petitam,
Nutricem grato protegis ore tuam?
Et facis hoc meritò: mulis crudelior ille est,
Qui pius in matrem negligit esse Scholam.
Perge, Deus tecum: laus est benè velle mereri,
Gloria virtutis te manet ante fores.

TERPSICHORE.

D^{ni.} PETRO SEVERINI, SERENISSIMI DANO-rum Regis Doctori Medico.

TErpsichore dicor, quoniam perfundo sororum,
Lætitia nunquam deficiente chorum.
Tu quoq; qui Musas primis veneraris ab annis,
Plena voluptatis pocula faxo bibas.
Magne SEVERINE ingenio, comes intime Regis,
Cuius ab eloquio gratia larga fluit,
Te tua iam pridem commendans inclyta virtus,
Viuere Mæonio carmine digna fuit.
Iampridem varijs crescunt tua nomina votis,
Omnibus & populis multus in orbe sedes.
Tu rus dulce tuis, & decumbentibus acri
Frigore, compositus diceris esse focus.
Rus tibi nascatur, plenum redolentibus herbis,
Et medicina tuum ferueat ante focum.
Omne boni nomen turpi viciatur abusu,
Quæ moderata iuuant, immoderata nocent.
Sic hominum donata nocet Medicina saluti,
Artis enim prodest vsus, abusus obest.

POLYHYMNIA.

Dñ. ANDREÆ LEMVICO, DOCTORI
Medico, Profeſſori, & Oeconomo.

IVre celebratur memori virtute nepotum,
Quem pia Muſarum ſanctaq́ cura tenet.
Ergò tuæ laudes dicantur oportet in æuum,
Nulli qui noſtri cedis amore viro.
Quiq́, tot exhauſtus curis, ante omnia curas
Atq́ foues (mundi publica fulcra) Scholas.
Eſt tibi mentis honos, & acuta ſcientia parta,
Et decus ingenij nobile nomen habes.
Tu nos facundæ Suadæ ſermonibus ornas,
Inſtillans caſto dogmata caſta gregi.
Hoc ſacrum ingenium, cunctis memorabile ſeclis,
Ferrea poſteritas, ni celebrârit, erit.
Dum Schola, dum ſuperant Muſæ, dum candida virtus
Non potis es, quamuis emoriare, morj.
Tu ſemper memori nobis in pectore viues,
Nec nos ingratas arguet vlla dies.
Felix fertilibus qui ſemina credidit agris,
Felix Muſarum qui recreauit aues.

ERATO.

D$\bar{n}$. ANDREÆ CHRISTIERNO, DOCTORI Medico, & Professori.

MVtuor â tenero demissum nomen Amore,
Arte quod illustres dicor amare viros.
Inter quos ego magna tuæ virtutis amatrix,
Me totam decori doq; daboq; tuo.
Est etenim longo iam mos seruatus ab æuo,
Nostraq; dum fuerit fama, perennis erit.
Vt qui nos primis coluêre fideliter annis,
Officio capiant præmia digna suo.
Exerces medicam cum laude Machaönis artem,
Qua transfers, fama clarus, ad astra caput.
Est animus tibi præcellens, est viuida virtus,
Quæ finem officij cernit amatq; sui.
Est comes huic recta stabilis ratione voluntas,
Quæ probat, & liquido quod monet ille facit.
His ducibus cernis quid vitæ postulet vsus,
Nec sua virtuti præmia recta negas.
Tu Clari Hafniensis Doctor CHRISTIERNE Lycei
Viue decus, flore gemma, patrone vale.

CALLIOPE.

Dn. ANDREÆ KRAGIO, DOCTORI MEDICO, & Professori optimo.

CAlliope, quæ summa feror, quæ prima sororum,
Te ANDREA KRAGI quo satis ore canam?
Non etenim infensus leuitatis anilibus vmbris,
Visus es argutis deditus esse strophis.
Vana reliquisti vanis, sed docta sed apta,
Plena salutari cognitione tenes.
Nec tibi relligio curæ sincera minorj,
Aut pietas vnquam vera neglecta fuit.
Odisti sectas, petulans nec schisma probasti,
Qua pius offendi plebs leuitate queat.
Laurus vt æternos formosæ frondis honores
Gestat, & vmbrosas explicat alta comas:
Sic viret, & cœlo te gloria laudibus æquat,
Gloria quam mortis falx abolere nequit.
Felices, nugis qui non duxêre iuuentam,
Ocia gaudentes luxuriosa sequi.
Sed genio ducti meliori, ad summa volantes,
Virtutum eximios arripuêre gradus.

AGLAIA,

DN. NICOLAO KRAGIO, I. DOCTORI, ET Professori Græcæ linguæ.

Historiæ Regis Pyrrhi mirantur Achatem
In quo cum Musis fictus Apollo fuit.
Verùm in corde tuo spirant, Christo auspice, Musæ,
Pulchrius ô quantò pectus Achate tuum?
Sedulitas, grauitas, pia vita, scientia, mores,
Illa tibi laudum promeruêre decus.
Comis in aggressu, sermone affabilis omni,
Mens tua consilio, iudicioq; valet.
Quo Vir enim magis est doctus: tantò magis ergà,
Quoslibet humanus moribus esse solet.
Dextera nobilior læua: quia rebus agendis
Hæc minus, illa magis creditur apta manus.
Præstat Achiuorum sic lingua rotunda Latinæ:
Hæc Sophiam tantùm parturit, illa parit.
Hanc quia Docte doces KRAGI, sermone diserto,
Dignus vt optatis prospera quæq; feras.
Nec te cessabunt memores laudare Camœnæ,
Sed viues cœli sydera donec erunt.

VRANIE.

Dn. THOMAE FINCKIO, DOCTORI, & Mathematatum Professori.

TE genus & virtus, te multa scientia rerum,
Æquauit magnis, Clare Patrone, viris.
Ergò nouam te iure meo stellam insero stellis,
Ne famam Lethes deleat unda tuam.
Tu vitæ & mortis sedes metiris ab horis,
Quæ maneant quemuis eruta fata virum.
Cynthia, dinumeras, quas fusca laboret ad horas,
Puniceasq́; quibus uox vehat atra rotas.
Comicus hinc falsò diuina Mathemata risit,
Socrate stellatum suspiciente polum.
Applico ego summo sublimia pectora cælo,
Visa licet Cynicis futilis illa fuit.
Laus soli sine fine DEO, qui fecit vt esses
Artis diuinæ Cultor, amansq́; mej.
Idcircò FINCKI præstans, te clara manebunt
Astra, ea cum magna sedulitate colas.
Sic paulò ante obitum depinxit Tullius orbes,
Sperabat quos post funus adire, poli.

EVPHROSYNE.

M. IOHANNI AVRIFABRO ELOQVENTIÆ Professori.

ET tu IANE, potens facundi dotibus oris,
Macte Scholam hanc dictis amplificare tuis.
Ingenio tibi partus honos, tibi gratia morum,
Et lingua est fuco libera, fraude fides.
Non etenim socors rebus tibi pectus agendis,
Acta vel in turpi vita quiete fuit.
Sed tuus egregij vigor, & vis strenua cordis,
Indolis extemplò signa dedêre bonæ.
Naturam Genius studijs tibi præbuit aptam,
Vt largo ingenij flumine vena fluat.
Hanc auram simul ac afflauit dexter Apollo,
Iudicij cessit dos tibi larga bonj.
Me memorem, mihi crede, tui, me, crede, tuorum,
Dum vagor in terris, esse, fuisse, forę.
Cæcus amor, fateor, rationis lumine cassus,
Sed si directus sit ratione, videt.
Et videt, & memor est, & amat quos duxit amandos
Esse semel, constans, & sine fraude, bonos.

CHARIS.

M. IOHANNI PAVL-LINO RESENIO,

Decano & Professori Logices.

VIx vbi natus eras, cum te videre Camænæ,
Libantes teneris oscula blanda genis.
Dixerunt; ni vana monet Latous Apollo,
Mecænas nostri temporis alter adest.
Et verum: Logice primis tibi risit ab annis,
Quæ descripta tribus partibus esse solet.
Astra petituris quæ mentibus applicat alas,
Nec retrusa tibi, Docte, Mathesis abest.
Quin & naturæ penetralia mira fuisti,
Indolis ingressus dexteritate tuæ.
Dulce videre animis animas: hinc illa fluebat,
Noscendi propius feruida cura tui.
Nec doctrina potens maculosos tollère mores
Te fugit Historiæ nec tibi lumen abest.
Et siue eloquij fontes, & flumina poscas
Res grauis, eloquij vena beata fluit.
Verbaq; seu arguta, vel aut breuiora requiras
Res concisa: nec hìc gratia blanda deëst.

PALLAS.

M. IVARO STVBÆO HEBREÆ LINGVÆ Professori.

DVm versu aggredior te dicere Docte STVBÆE,
Da veniam, nostri gloria, fama Scholæ.
Hoc namq; vt facerem, bonitas tua summa coëgit,
Versibus inuidiam detrahit illa meis.
Illa tui absentem me cæpit amore fideli,
De facie nondum cum mihi notus eras.
Nunc mihi cum liceat mites cognoscere vultus,
Et fluat ingenij gratia quanta tui.
Cum tibi quæ pietas, quæ sit præstantia cernam,
Mirata eloquij verba benigna tui.
Nescio quas capiens subitas audacia vires,
In laudes veniam carmine grata tuas.
Lingua DEI lucem præfert Hebræa ministro:
Et tibi cum reliquis illa duabus adest.
Gratia debetur tibi, nec tibi gratia deerit,
Et fauor ante homines, & fauor ante Deum.
Namq; Dei qui laudi, hominum qui seruijt vsu:
Illum mortales, illum amat ipse Deus.

THALIA.

M. LAVRENTIO SCAVENIO, PROFESSORI Pædagogico.

VT Schola, cui seruis, multos adolescat in annos,
In studijs magna sedulitate vacas.
Nimirum memor es, quod te puerilibus annis,
Lactauit mammis officiosa suis.
Ex illo complexus eam, ceu filius, ornas,
Et colis, & magno reddis amore vicem.
Iure tibi gratamur opes, gratamur honores,
Nos etenim obseruas, officijsq́ colis.
Tu modò Castalidum nunquam depone fauorem,
Ad famam breuior semita nulla patet.
Sic tibi sic tribuent viuacis præmia famæ,
Præmia quæ nullo sunt peritura die.
Et quas exiguo celebraui carmine laudes
SCAVENI, grati pectoris esse puta.
Exiguas vires commendat amica voluntas,
In magnis laudem mens cupientis habet.
Sic momenta tuis auge communia donis,
Hoc fac, &, Inuidia teste, beatus eris.

FINIS.